



Patriarchatus Latinus- jerusalem  
البطريركية اللاتينية الأورشليمية  
المكتب الليتورجي  
Officium Liturgicum

Die 14 Novembris  
Ss. Nicolai Tavilich et Sociorum, martyrum

*Ant. ad introitum*

**G**audent in cælis ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secuti, et quia pro eius amóre sanguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

*Collecta*

Deus, qui beátum Nicoláum et sócios eius fidei propagandæ zelo et martyrii palma gloriósos effecisti, præsta, quæsumus:

ut eórum exémplo et intercessióne, viam mandatórum tuórum curréntes, ætérnæ vitæ bravíum accípere mereámur.

Per Dóminum.

LECTIO PRIOR

*«Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna»*

Léctio libri Apocalypsis

7, 9-17

In diébus illis:

Vidi turbam magnam quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus et tribubus et pópolis et linguis stantes ante thronum et in conspéctu Agni, amícti stolas albas, et palmæ in mánibus eórum; et clamant voce magna dicéntes: «Salus Deo nostro qui sedet super thronum, et Agno».

Et omnes Angeli stabant in circúitu throni et Seniórum

et quattuor Animálium, et cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas et adoravérunt Deum dicéntes: «Amen. Benedic-tio et glória et sapiéntia et gratiárum áctio et honor et vir-tus et fortitúdo Deo nostro in sæcula sæculórum: amen».

Et respóndit unus de Senióribus dicens mihi: «Hi qui amícti sunt stolis albis, qui sunt et unde venérunt?» Et dixi illi: «Dómine mi, tu scis». Et dixit mihi: «Hi sunt qui vé-niunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas et deal-bavérunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei et sérviant ei die ac nocte in templo eius et qui sedet in throno habitábit super illos. Non esúrient ámplius, neque si-tient ámplius, neque cadet super illos sol neque ullus æstus, quóniam Agnus qui in médio throni est pascet illos et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum et abstérget Deus omnem lácrimam ex oculis eórum».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 125, 1-2ab. 2cd-3. 4-5. 6 (R.: 5)

R/. Qui séminant in lácrimis, in exsultatióne metent.

1 In converténdo Dóminus captivitátem Sion, facti sumus quasi somniántes.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, et língua nostra exsultatióne. R/.

2 Tunc dicébant inter gentes:  
«Magnificávit Dóminus fácere cum eis».

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum; facti sumus lätantes. R/.

3 Convérte, Dómine, captivitátem nostram, sicut torréntes in Austro.  
Qui séminant in lácrimis, in exsultatióne metent. R/.

4 Eúntes ibant et flebant,  
semen spargéndum portántes;  
veniéntes autem vénient in exsultatióne,  
portántes manípulos suos. R/.

ALLELUIA

Iac, 1 ,12

R/. Alleluia V. Beátus vir qui suffert tentatióne, quia cum probátus fúerit accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.  
R/. Allelúa.

EVANGELIUM

«*Nolite timere eos qui occidunt corpus.*»

† Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum 10. 28-33

In illo témpore :

Dixit Iesus discípulis suis: «Nolite timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere; sed pótius eum timéte qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnā.

Nonne duo pásseres asse véneunt? Et unus rex illis non cadet super terram sine Patre vestro. Vestri autem et capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolite ergo timére; multis pas-séribus melióres estis vos.

Omnis ergo qui confitébitur me coram homínibus, con-fitébor et ego eum coram Patre meo qui est in cælis; qui autem negáverit me coram homínibus, negábo et ego eum coram Patre meo qui est in cælis.»

Verbum Dómini

*Super oblata*

Clementíssime Deus, múnera hæc tua benedictiōne perfúnde;  
et nos in ea fide confírma,  
quam beátus Nicoláus et sócií mártires,  
effúso sanguine, adseruérunt.

Per Christum.

*Ant. ad communionem*

Mc 8, 35

Qui perdíderit ánimam suam propter me et Evangélium,  
salvam fáciet eam, dicit Dóminus.

*vel*

Io 15, 13

Maiórem caritátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis  
pro amícis suis, dicit Dóminus.

*Post communionem*

Unius panis alimónia refécti,  
in commemoratióne beátorum mártirum Nicolái et sociórum,  
súpplices te, Dómine, deprecámur:  
ut nos in tua iúgiter caritáte confírmes,  
et in novitáte vitæ concédas ambuláre.  
Per Christum.

